

40
H. lit.
62 ^a
15

62^a 10/15
D. CAROLVS GOTTLOB KVEHN

PHYSIOLOGIAE ET PATHOLOGIAE PROF. PVBL. ORD.

ET

VNIVERSITATIS LITERARVM LIPSIENSIS

H. T.

P R O C A N C E L L A R I V S

P A N E G Y R I N M E D I C A M

IN
AVDITORIO IVRIDICO

D. III. MENS. OCTOBRIS A. R. S. CIOIOCCCXXVIII

CELEBRANDAM

INDICIT

*Insunt additamenta ad elenchum medicorum veterum,
a Jo. A. FABRICIO in biblioth. graec. Vol. XIII.
p. 17—456. exhibitum.*

XV.

D. CAROLVS GOTTOR KVENH


THE UNIVERSITY OF MICHIGAN LIBRARY

UNIVERSITÄT ERLANGEN NÜRNBERG

1871

PROF. A. N. C. E. A. N. I. S.

PHYSIOLOGIE MEDICIN



AD BIBL. UNIVERS. MONAC.

1871

AD BIBL. UNIVERS. MONAC.

AD BIBL. UNIVERS. MONAC.

AD BIBL. UNIVERS. MONAC.

AD BIBL.
UNIVERS.
MONAC.

Annus est, ex quo decimum quartum specimen additamentorum ad elenchum medicorum veterum, a **FABRICIO** in sua bibliotheca graeca exhibitum, edidi. Cum autem spes sit, ut adfecta a **b. GOTTL. CHPH. HARLESIO** nova huius eruditissimi operis editio propediem, curante **Viro S. V. et Illustri BECKIO**, ad finem perducatur, equidem, quibus ille medicorum, inprimis graecorum catalogus augeri et emendari possit, in medium proferre haud cunctabor.

DIPHILUS CARYSTIUS, a **Fabricio** inter medicos, ob falsam in *Athen.* (lib. III. c. 5. p. 172. ed. **Dindorf.**) loco lectionem relatus, delendus est. Nam nunc trium codd. auctoritate recte ibi scriptum est *Διοκλῆς ὁ Καρύστιος*.

DIPHILUS SIPHNIUS temporibus **Lysimachi** regis, qui **Alexandro M.** successit, clarus, teste *Athen.* lib. III. c. 83. p. 264. ed. laud. *περὶ τῶν προσφερομένων τοῖς νοσοῦσι καὶ τοῖς ὑγιαίνουσι* scripsit. E pluribus **Diphili** huius locis, ab **Athenaeo** servatis, qui in **Schweighaeuseri** indice, indeque in III. **Sprengelii** *Geschichte d. Bot.* I. p. 101. sq. adducti sunt, hunc propterea laudo, quod **Charterius** (*Hipp. et Gal. op.* t. VI. p. 498.) lepidum commisit errorem, dum hoc **Athenaei** loco **Galen**i fragmentum contineri

putaret, cum verba: καὶ ὁ Γαληνὸς — ἔφη, nihil aliud indicent, quam Galenum, quem convivio interesse finxit Athenaeus, (vid. *Epit.* c. 2.) nunc de panibus disputantis personam sumere.

ELIAS ARTISTA. Cum Elisa propheta a Fabricio inter medicos relatus sit, Elias eodem iure huc trahi poterit. Fuerunt enim, qui eum artis, per excellentiam dictae, peritum fuisse, h. e. metallorum ignobilium in nobilia transmutandorum peritiam habuisse putarent. Quod cum tincturae auxilio perfici posse fabulentur, quae etiam vitae prolongandae vim habeat, quo iure auri coctores, qui re vera auri decoctores sunt, medicis adnumerari queant, facile patet. Vid. *Raph. Eglinus* in disquis. *Eliana*, cuius libri notitiam e *Geo. Wolfg. Wedelii* progr. II. de *Elia* artista. Ien. 1719. 4. hausi.

EUDAMUS. Assentior Hemsterhusio ad *Aristoph. Plut.* v. 885. p. 300. ed. Lips. a Schaefero curatae, qui Eudamum, his verbis a Schol. *Aristoph.* memoratum: ὁ δ' Ἐυδαμος φαρμακοπώλης ἢ χρυσοπώλης, τετελεσμένους δακτυλίους πωλῶν. φιλόσοφος δ' ἦν οὗτος ὁ Ἐυδαμος φυσικοῦς δακτυλίους ποιῶν πρὸς δαίμονα καὶ ὄφεις καὶ τὰ τοιαῦτα, cum Eudemo unum eundemque facere non dubitat, qui a *Theophr. hist. pl.* I. IX. c. 17. §. 2. p. 319. ed. Schneid. φαρμακοπώλης ἐνδοκιμῶν σφόδρα κατὰ τὴν τέχνην vocatur, atque ab Eudemo Chio distinguitur, qui et ipse pharmacopola erat. Eudemi Atheniensis, qui de oleribus scripserit, meminit *Athenaeus* lib. IX. p. 369. c. et p. 74. a. Nolim autem inde, quod *Euthydemus* quoque περὶ λαχάνων scripsit, teste *Athenaeo* II. 58. f. et 74. a., concludere, aut Eudemi librum

laudatum Euthydemo, aut potius huius opus cognomine illi tribuendum esse, quemadmodum fecisse videtur, qui indicem scriptorum, ab Athenaeo memoratorum, confecit in ed. Dindorf. aliisque.

EUEMERUS ter a Galeno (*d. comp. med. loc. IV. c. 7. to. II. p. 217. bis. et 219. ed. Bas. [to. XII. p. 774. et 778. ed. Lips.]*) laudatus est. Quomodo autem Euemerum Coum, cuius Athenaeus lib. XIII. p. 658. [p. 1466. ed. Dind.] meminit, Fabricius eundem cum Euemero Galeni habere potuerit, id non video. Nam neque additum ab Athenaeo cognomen, a patria ductum, neque libri index *περὶ ἱερῶς ἀναγραφῆς*, qui prorsus aliud argumentum prodere videtur, quam medico conveniat, in medicamentorum variorum compositione potissimum occupato, coniecturae Fabricianae aliquam probabilitatis speciem tribuunt. *Ἀναγραφὴ* enim *ἱερὰ* est enumeratio donariorum, Deo Deaeve oblato- rum, quae in templi aerario recondi solet. Eiusmodi *ἀναγραφῆς τῶν ἐν ἀκροπόλει ἀναθημάτων* meminit Poll. *onom. X. s. 126.* ad quem locum cons. Tib. Hemsterhus.

EUNOMUS. Galenus *de comp. med. sec. gen. lib. V. p. 391. ed. Bas. [to. XIII. p. 850. 851. ed. Lips.]* bis eum memorat. Prior locus exhibet medicamentum, crustis inducendis aptum, ab Eunomo Asclepiade, non Asclepiadeo, uti Fabricius voluit, compositum. Quae quidem scriptura mihi vitio laborare videtur. Prorsus enim insolens est haec duorum nominum iungendorum ratio *Ἐυνομος ὁ Ἀσκληπιάδης*.

EURYODES Siculus laudatur a Ruffo Ephes. *de vesic. et ren. morb. p. 84. ed. Matth. ad quem locum editor nomen potius Eu-*

ryades scribendum esse contendit, quoniam hoc occurrat, illud autem nullibi inveniatur. Equidem vellem, ut hanc opinionem probasset.

EUTHYDEMUS Atheniensis, cuius paulo ante, Eudemi occasione, mentionem feci, saepius ab Athenaeo laudatus est. Inter eos enim, quos de arte coquinaria scripsisse lib. XII. 12. p. 1157. ed. laud. refert, cum multis aliis Euthydemus quoque occurrit. Duo sive libri peculiare, sive partes maioris operis, de illa arte conscripti, ab Athenaeo citantur: *περὶ λαγάνων* II. 58. p. 134. ed. laud. III. 74. p. 171. et *περὶ ταρίχων*. III. 116. p. 265. 266. ubi versus, quos tanquam Hesiodi Euthydemus citavit, a coquo potius, quam ab Hesiodo, τῷ μουσικωτάτῳ, factos esse ex chronologia male observata recte probavit Athenaeus; III. p. 270. delcanum piscem, a Delcone fluvio cognominatum, sale conditum, *ἐυστομαχώτατον* ab Euthydemo pronuntiatum esse narrat; VII. p. 668. 688.

FRONTO, de quo vid. Needham in prolegom. ad Geopon. p. LIX. ed. Niclas., diversus est a celebri illo rhetore, cuius nuper varia scripta Maii studio edita sunt. Apsyrtus in Hippiatr. c. 14. p. 53. ed. Ruell. laudat Carystanum Frontonem, et c. 68. p. 183. ipsius nomen plenius adducit Frontonis Valerii. Vtroque autem loco Apsyrtus cum Frontone per literas partim, quinam admissarii equi eligendi, partim quaenam remedia animalibus, ex ignota causa marcescentibus, propinanda sint, communicat. Hinc e medicorum numero ille Fronto proscribendus esse videtur.

GLAUCIAS, a Corn. Celso *de re med.* praef. p. 3 cum Apollonio et Heraclide inter praecipuos empiricae sectae patronos relatus, a Sprengelio (*Gesch. d. Bot.* I. p. 112.) iis, qui de oleribus scripserunt, propterea annumeratus est, quoniam Athen. II. 69. ipsum laudaverit, quod lactucam simili modo, quo asparagus, coctam aliis oleribus multum praestare narraverit. Quod argumentum minus grave firmumque mihi videtur. Etenim hanc de lactuca observationem, ab Athenaeo II. 69. memoratam, Glaucias in opere de simplicibus remediis, quod ab ipso compositum esse, ex omnibus a Plinio (*h. n.* XX. c. 23. XXI. c. 28. XXII. c. 23. et XXIV. c. 16.) allatis conicio locis, commode proferre poterat. Neque indicis scriptorum, ab Athenaeo citatorum, auctori, cui Sprengelius accedit l. c., assentior, qui Glaucidem Athenaei (libr. III. p. 187.) fortasse eundem cum Glaucia esse coniecit. Nam haec opinio nonnisi tunc aliquam probabilitatis speciem haberet, si certum et extra omnem dubitationem positum esset, Glauciam de alimentorum facultatibus scripsisse, et ὀψοποιητικῆς πραγματείας σοφιστὴν fuisse, id, quod de Glaucio Locrensi Pollux *onom.* VI. 71. retulit. — Loca Galeni *de comp. med. s. gen.* V. c. 12. et *de med. loc. comp.* IV. c. 7., a Fabricio adducta, de Glaucia nihil produnt, sed prior remedii a Glaucio, non Glaucia, aut inventi, aut commendati mentionem iniicit, posterior illitionis, qua Glaucus quidam e pluribus, quos Fabricius commemoravit, usus est, memoriam servavit. — Prorsus silentio praeteriit Fabricius Glauciae explicationem difficiliorum Hippocratis vocum, quam, teste Erotiano p. 17. alphabetico ordine ita dedit, ut cuilibet

voci loca Coi adderet, in quibus ea occurreret. Ex hoc opere nonnullae glossae, v. c. πέαρο, ab Hesychio in suum lexicon transsumtae sunt.

GLAUCON, quem Plin. *h. n.* XXII. c. 22. narrat, bupleuro, ab Hippocrate in cibis laudato, una cum Nicandro in *Ther.* vs. 585. in medicina usum esse, medicus Pansae Cons. fuit, de cuius morte Torquato in suspicionem venit. (vid. Bruti ep. ad Cicer. 6.). In Sueton. Octav. c. 11. vocatur autem Glycon. Num Glaucón, glossarum scriptor, ab Athenaeo lib. XI. p. 480. f. memoratus, cum hoc Glaucōne Plinii unus idemque fuerit, non decerno.

GLAUCI plures a Fabricio commemorantur. Omissus tamen est, Locris ortus, quem de arte culinaria scripsisse paulo ante Pollucis testimonio probavi. GLAUCII, nescio cuius, trochiscum πολύχρηστον Galenus commemorat loco sub Glaucia allato: et fasciarum a Glaucio inventarum meminit Nicetas *Chirurg. graec. collect.*

GLEUCINUM male medicum fecit Fabricius, qui ante Heram de medicamentis scripserit. Si Galeni loca adducta attentius inspexisset Fabricius, vidisset, ea non de scriptore Gleucino, sed de oleo eiusdem nominis, variisque illud conficiendi rationibus (libr. VII. c. 14.) agere. In his ultima ab Hera plenius descripta est, et ridiculi erroris Fabriciani fontem continet: ἐπεὶ δὲ σαφέστερον αὐτῶν ἔγραψεν ὁ Ἡράς τὴν τοῦ γλενκίνου σκευασίαν, ἐπὶ τῷ τέλει τῆς φαρμακείδος βίβλου καὶ τὴν ἐκείνου γραφὴν παραθήσομαι. Incidit igitur Fabricius h. l. in similem errorem, quem a Pricaeo in Hesych. v. βρένθιον, μύρον τι, ὡς βάκκαρις commissum ridiculum vocavit, cum unguenti

nomen βακκαρις tribueret scriptori. Vid. *Bibl. graec.* to. VI. p. 218. ed. Harl.

GLYCON, Pansae Consulis medicus. Eius mentio nonnisi in Sueton. *Octav.* c. 11. extr. occurrit. Nam quae ad h. l. adducta est Bruti ad Ciceronem epist. 6. (to. VIII. part. 3. ed. Schütz.) eum Glaucōna nominavit, quemadmodum locus quoque Plin. *h. n.* lib. XXII. c. 22. s. 35. habet. Vid. paulo ante GLAUCON.

GRANIUS, medicis a Fabricio propterea annumeratus, quod, Plinio teste l. XXVIII. c. 4., lapillum ferro e calculosorum vesica exemptum, et supra pubem alligatum ad levandos caeteros et iocineris dolores efficaciorē habuerit eo, qui sponte prodierit, hoc honore indignum iudico. Nam si omnium nomina, qui contra morbum remedium quoddam suaserunt, quamvis absurdum, qualia superstitiosa sunt, h. l. a Plinio commemorata, in medicorum censum referendi essent, eorum numerus profecto infinitus foret.

HARPOCRATION Mendesius, quem Fabricius, testimonio Athenaei XIV. p. 1442. ed. laud. fultus, librum de placentis scripsisse prodidit, alius esse videtur, quam ille a Tertulliano (cap. 7. *de coronā*) commemoratus, quem ego unum eundemque cum illo Harpocratōne esse puto, qui *de physicis virtutibus* librum composuit, in bibliothecarum latebris adhuc latentem. Nam ea, quae Tertullianus de hedera narrat, *cerebrum ab heluco*, i. e. Gesnero interprete, ab ἐωλοκρασία et gravitate capitis a crapula, defensante, commodē in libro περὶ φυσικῶν δυνάμεων locum poterant invenire. Insigne fragmentum ex hoc libro, quem in bibliotheca Vatic. exstare testatus est Pamelius ad Tertulliani l. c.,

invenire autem ibidem non poterat Maussacus (Diss. crit., edit. ab illo curatae addita p. 323. = ed. Lips. to. II. p. 15.) exhibuit Salmasius de *homonym. hyl. iatr.* p. 22. de planta, ubivis terrarum folia, Iridi similia quidem, latiora tamen habente, et ξίφος, s. μάχαρα, s. φάσγανον dicta, simulque alterum addit fragmentum de ξιφίω h. e. Gladiolo communi. Ex eodem libro in *Catal. codd mst. ap. Nanios, patricos Venetos asservator.* Bonon. 1784. p. 440. exhibitum est aliud idque non minus conspicuum fragmentum. Hic ipse codex mst. plenior libri Harpocratio-
nis titulum habet: *περὶ φυσικῶν δυνάμεων ζωῶν τε φυτῶν καὶ λίθων, ἃ ἔγραψε πρὸς τὴν ἰδίαν θυγατέρα.*

HELIODORUS, quem Galenus de *antidot.* II. c. 7. to. XIV. p. 144. ed. Lips. illis scriptoribus annumeravit, qui, ut Orpheus, theologi cognomine usus, Orus Mendesius recentior, et Aratus, de venenorum compositione versibus scripserint. Vnus quoque Galenus l. c. ex antiquis scriptoribus nobis cognitus est, cuius testimonio Heliodorus inter tragicos poëtas relatus est, et qui carminis, ἀπολυτικὰ πρὸς Νικόμαχον inscripti, initium nobis servavit. Titulus huic carmini de industria obscurior datus esse videtur, ut eius auctor vulgus invidiam facilius effugeret. Ἀπολυτικός enim, si vulgares lexicographos audimus, eum, qui ad liberandum proclivis est, denotat: ἀπολυτικὰ igitur remedia esse poterant, quibus venenatum hominem aut a doloribus, ex veneno sive sumto, sive accepto ortis, aut in universum a mortis instantis metu liberare possumus. Sed si illa notio, quam Zonaras ex septuaginta virali psalmorum versione notavit: ἀπολύων, τῷ θανάτῳ παραπέμπων, aliis alio-

rum scriptorum locis firmari posset, tunc carminis argumen-
tum ipso titulo indicatum fuisset: ἀπολυτικά enim ea forent,
quae orco homines tradere possunt. Utar hac occasione, cum
lectoribus ea communicandi, quae ad me Vir Eruditiss. mihiq̃
amiciissimus G. DINDORF scripsit: „In cod. Hippocratis
Havniensi regio post iusiurandum Hippocratis sequitur ἕτερος
ὅρκος Ἱπποκράτους, cuius apographum O. D. Blochii amicitiae
debeo, αὐτὸν ἐν ἀρχάντοισι μέγαν θεὸν αἰὲν ἔοντα ὄμνυμι, ὥς ὅ-
τινα ξεῖνον δηλήσομαι ἄνδρα νοσοῦν, ὅτε τιν' ἐνδήμεον ὀλοφώϊα
ἔργα τελῶν. ὅτε τις ἐν δώροις με παραιβασίην ἀλεγεινὴν ἐκτελέειν
πέσεις καὶ ἄνθρωποι φάρμακα δοῦναι λυγρὰ, τάπερ κακότητα θυ-
μοφθόρον οἶδεν ὀπάξει· ἀλλ' ὅσας μὲν χεῖρας πρὸς θεὸν αἰείρας
ἔχων κατὰ πάντα λογισμὸν, κεῖνα μῆσομαι ἔρδειν, ἅπερ σῶον ἄνδρα
θήσει, πορσύνων πάντεσι ὀλβιόδωρον ὑγίην. Quae ita emen-
danda sunt:

Ὅτι τὸν ἐν ἀρχάντοισι μέγαν θεὸν αἰὲν ἔοντα
Ὅτε τινὰ ξεῖνον δηλήσομαι, ἄνδρα νοσοῦντα
Ὅτε τιν' ἐνδήμεον, ὀλοφώϊα ἔργα τελείων,
Ὅτε τις ἐν δώροις με παραιβασίην ἀλεγεινὴν
Ἐκτελέειν πέσεις καὶ ἄνθρωποι φάρμακα δοῦναι
Λυγρὰ, τάπερ κακότητα θυμοφθόρον οἶδεν ὀπάξει,
Ἀλλ' ὅσας μὲν χεῖρας ἔχων κατὰ πάντα λογισμὸν
Μῆσομαι ἔρδειν κεῖνα τάπερ σῶον ἄνδρα θήσει
Πορσύνων πάντεσσιν ὑγίην ὀλβιόδωρον.

Vers. 6. θυμοφθόρον prima syllaba correpta dixit imperite:
neque enim κακότητα aut θυμοφθόρον satis illa munita locis

Homericis, cum aliis vocabulis permutari possunt, neque probabile est, scripsisse poëtam, quod quis coniciat, κακότητ' οἶδεν θυμοφθόρ' ὀπάζειν. De auctore autem horum versuum, qui Gregorii Nazianzeni aetatem superare non videtur, (nam ridicula librarii opinio est, qui Hippocratis nomen adscripsit), secunda tamen fortuna accidit, ut antiquioris poëtae locum, quem ille aperta imitatione expressit, monstrare possimus. Galenus enim libr. II. de antidotis c. 7. hoc apposuit Heliodori Ἀπολυτικῶν πρὸς Νικόμαχον principium:

Οὐ μὰ τὸν ἐν Τρίκῃ πρηνὲν θεόν, οὐ μὰ τὸν ὑψοῦ
 Ἥλιον σπείροντα θεοῖς φασίμβροτον ἀγῆν*)
 Οὐ μὰ θεῶν σκηπτοῦχον ὑπερμενέα Κρονίωνα,
 Οὔτε μέ τις δώροισι παρήγαγεν, οὔθ' ὑπ' ἀνάγκης
 Οὔτε χάριν φίλης ἐτέρῳ κακὰ νείμαι ὑπέστην,
 Ἄλλ' ὅσας μὲν χεῖρας ἐς ἡέρα λαμπρὸν αἶρα**),
 Καὶ κακίης ἀμόλυντον ἔχω κατὰ πάντα λογισμὸν.

Quorum versuum cum nostro epigrammate similitudini non repugnabo, si quis tantum tribuere velit, ut versu 7. πρὸς θεὸν αἶρας ab librario brevitatis causa posita, ipsa vero poëtae verba hoc vel simili aliquo modo redintegrandae esse existimet:

Ἄλλ' ὅσας μὲν χεῖρας ἐς ἡέρα λαμπρὸν αἶρας
 Καὶ κακίης ἀμόλυντον ἔχον κατὰ πάντα λογισμὸν
 Μήσομαι ἔρδειν κεῖνα τάπερ σὸν ἀνέρα θήσει —.“

*) Pro ἀγῆν, quod reposui, ed. Bas. ἄλγην, Chart. ἄγλην.

**) Charter. αἶρω.

Hucusque Excell. Dindorfius. Io. Meurs. *bibl. att.* lib. III. p. 1510. in Gronov. *thes.* t. X. Heliodoro Ἀπολυτικῶν auctori duo adhuc scripta tribuit, quorum alterum sub *Protesilai* titulo memoratum est a Stephano v. *φολάκη*, ex altero, quod de spectaculis italicis egit, Ioannes Stobensis in *Florileg.* ex ed. Th. Gaisford. to. III. p. 269. insigne servavit fragmentum. Quid autem Meursium, ut haec diversa scripta uni eidemque Heliodoro tribuerit, commoverit, huius ego nullam aliam video causam, quam quod Heliodorus, qui ἀπολυτικά, et is, qui Protesilaum, denique is, qui de spectaculis italicis scripsit, hi omnes versibus heroicis usi sunt.

Haec praefanda esse duxi solemnitati academicae, qua in Candidatum medicinae ac chirurgiae Dignissimum,

IOANNEM AVGVSTVM EDVARDVM BORMANN,

MEDICINAE BACCALAVREVM,

summi in arte salutari honores sunt conferendi. E brevi vitae hactenus transactae adumbratione satis, opinor, elucescet, quid, ut hisce honoribus fieret dignus, egerit. Eam igitur ipsis Candidati verbis cum Lectoribus communicabo:

Natus sum Dresdae d. XIV. April. MDCCC. patre AVGVSTO FRIDERICO, Iurisconsulto, matre e gente WINTERIA, quos optimos parentes sorori patribusque luctuosus ille eripuit annus h. s. tertius decimus. In primis litterarum elementis puerum me instituit beatus SCHMIDT, cantor aulicus. Quum pharmaciae operam navare apud

me constituisssem, inde ab anno aetatis decimo quarto, in pharmacopolio, a Salomone appellato, duce Exp. et meritissimo STRUVIO, quem virum laudatissimum per omne vitae tempus summa cum veneratione prosequar, per triennium ea, quae ad hanc artem pertinent, addiscere studui. Anno h. s. XVII. scholam St. crucis eo consilio adii, ut ad artem medicam, cuius amor disciplina pharmaceutica excitatus est, rite cognoscendam praepararer. Praeceptoribus Cl. GROEBELIO et BAUMGARTEN - CRUSIO per quatuor fere annos in illo gymnasio usus, per dimidium annum in academia chirurgico-medica Dresdensi praelectiones de anatome Ill. SEILERI et Exp. MEDINGII, de chemia et physica Exp. FICINI, de historia naturali universali Ill. REICHENBACHII, et de logica b. HAANII frequentavi. Sub festum paschale anni MDCCCXXI. albo universitatis Lipsiensis, Rectore magnifico Ill. BECKIO, insertus, praeceptoribus usus sum in arte medica celeberrimis. Etenim Exp. WEBERVM et BOCKIVM anatomiam, Ill. PVCHELTVM physiologiam, pathologiam et therapiam; Exp. HAASIVM materiam medicam; Ill. JOERGIVM artem obstetriciam; Exp. KVEHNIVM medicinam forensem; Ill. CLARVM et Exp. WENDLERVM clinicen, Exp. KVHLIVM et CARVM chirurgiam, Exp. CERVTIVM anatomiam pathologicam, Exp. SCHWAEGRICHENIVM et KVNZIVM botanicam, b. GILBERTVM physicam et chemiam, Cl. KRVGIVM denique logicam et metaphysicam docentes audiui. Ineunte anno XXIII. examen pro Baccalaureatu, et mense Junio anni sequentis illud pro licentia subii.

Quibus superatis, ut artem medicam accuratius perspicerem, Viennam me contuli, ibique per VI. fere menses Ill. RAIMANNVM ad aegrotorum lectos comitatus sum, scholis Exp. ROSASII de morbis ocu-

lorum et Exp. KLEINII de arte obstetricia eorumque institutionibus practicis interfui. Aestate anni seculi XXV. Gottingam profectus in clinicis scholis ducibus celeberrimis LANGENBECKIO, CONRADIO, HIMLYO, et in arte obstetricia OSIANDRO usus sum. In itinere paulo post per Germaniam facto fontes medicatos Pyrmontanos, Nenndorfenses, Eilsenses, illos ad Taunum, balnea Badensia, tum quae in Germania, tum quae in Helvetia sita sunt, et Schinznacense aliaque visitavi. Parisiis, quam urbem auctumno eiusdem anni accessi, ut sanandi rationes Francogallorum accurate cognoscerem, instituta publica, quae rectoribus Ill. DUPUYTRENO, ROUXIO, BOYERIO, LAENNECIO, LYSFRANCO, HVSSONO, RECAMIERIO, CHOMELIO et FOUCQUIERIO florent, magna cum voluptate vidi, et per aliquod tempus scholis Exp. BROUSSAISII de febribus et Exp. KINGII de chirurgia operativa privatissimis auditor adfui. Sed quum hoc ipso tempore magno flagrarem desiderio, ea, quae hactenus cognoveram, ipse ad sanandos morbos adhibere, tristissimus ille status, cui Graecia illo tempore fere succubuit, facile me commovit, ut mense Maio anni seculi XXVI. in illam terram migrarem. Hinc factum est, ut mense Julio eiusdem anni a libero Barone de Fabvier, duce exercitus regularis, medico et chirurgico muneri praefectus cum in expeditionibus militaribus ipsis, tum in nosocomio Methenensi inter varia rerum discrimina sauciis aliisque aegrotantibus, quantum fieri potuit, re et consilio per annum et quod excurrit adessem medicus. Inde mense Septembri anni superioris itinere in patriam ad res familiares ordinandas suscepto simul ita usus sum, ut in universitatibus litterarum Bononiensi et Monacensi instituta medica, quae ibi florent celeberrima, diligenter inspicerem.

Ex his igitur luculenter patet, Candidatum Dignissimum nullam praetermisisse opportunitatem, qua suam doctrinam medicam, cuius quasi fundamenta in nostra literarum universitate iecit, augere poterat. Quam ob rem cum in Graeciam iterum omni festinatione properet, tempus ipsi haud suppetit, ad suam disputationem inauguralem de *nosocomio militari Methenensi ac praecipuis, qui in ipso obvii fuerunt, morbis*, me praeside publice contra adversarios antiquo ritu defendendam necessarium. Potentissimum igitur Regem precibus reverendissimis adiit, ut Facultati nostrae liceret, ipsi sine publica disputationis suae defensione iura et privilegia Doctoris medicinae et chirurgiae concedere. Quibus precibus cum singularis Regis gratia annueret, nos nihil deprehendimus, quod, quominus Candidatum Praenobilissimum summis in arte medica honoribus ornemus, ornatumque hac ipsa prolusione renuntiemus, impedimento esse posset. Nostrum autem esse putavimus, **TE, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, VOSQUE COMITES ILLUSTRISSIMOS, PROCERES VTRIVSQUE REIPUBLICAE GRAVISSIMOS, COMMILITONES GENEROSISSIMOS, AESTVMATISSIMOSQUE** hac de re facere certiores.

P. P. in Vniversitate literarum Lipsiensi Dominica XVII.
post Fest. S. S. Trinit. A. R. S. MDCCCXXVIII.

L I P S I A E

LITERIS STARITZII, TYPOGR. VNIVERS.

